

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. IX - N. 2

1977

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1977

EX ACTIS PAULI PP. VI

Allocutiones

- I-II-III. *Ad Patres Synodales V Coetus Generalis Synodi Episcoporum* . . . 199
- IV. *Ad eos qui intersunt VII Cursui renovationis Canonicae pro iudicibus a Pont. Universitate Gregoriana promoto* . . . 209

EX ACTIS SYNODI EPISCOPORUM

- I. *Relatio Cardinalis Praesidis de opere praestito in recognoscendo Codice Iuris Canonici* . . . 211
- II. *Discussio Patrum Synodaliū circa Relationem* . . . 214

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei

Decretum circa impotentiam quae matrimonium dirimit . . . 222

Sacra Congregatio pro Episcopis

- I. *De titulo tribuendo Episcopis coadiutoribus c.i.s.* . . . 223
- II. *De titulo tribuendo Praelatis (nullius)* . . . 224

Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu divino et Sacra Congregatio pro Clericis

Responsum ad propositum dubium de S. Poenitentia anteposenda receptioni Primae Communionis . . . 225

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

De munere defensoris vinculi Diacono permanenti committendo . . . 226

ACTA COMMISSIONIS

- I. *Transmissio schematum canonum consultationis causa* . . . 227
- A. *Transmissionis Litterae* . . . 227
- B. *Index generalis provisorius novi Codicis* . . . 229
- C. *Praenotanda - Canones praeliminares et normae generales* . . . 231
- II. *Opera Consultorum in apparandis canonum schematibus* . . . 274
- A. *Coetus specialis studii « De Lege Ecclesiae Fundamentali »* . . . 274
- Caput II: De Ecclesiae munere sanctificandi* . . . 275
- Caput III: De Ecclesiae munere regendi* . . . 279
- Normae finales* . . . 295
- B. *Coetus studiorum de Iure poenali Pars secunda: De poenis in singula delicta* . . . 304
- C. *Coetus studiorum de Sacramentis Synthesis animadversionum generalium* . . . 323
- Canones de Ecclesiae munere sanctificandi* . . . 332
- Titulus V: De Sacramento Unionis infirmorum* . . . 340
- D. *Coetus studiorum de Iure matrimoniali* . . . 345
- De impedimentis in genere* . . . 345
- De matrimoniis mixtis* . . . 353
- De impedimentis dirimentibus* . . . 359
- De consensu matrimoniali* . . . 369

DOCUMENTA

Oratio Card. P. Felici in Pontificia Universitate Gregoriana . . . 379

NOTITIAE . . . 382

INDICES . . . 383

3

COETUS STUDIORUM DE SACRAMENTIS

Conventus dd. 18-22 aprilis habiti

SYNTHESIS ANIMADVERSIONUM GENERALIUM

Postquam *Schema documenti pontificii quo disciplina canonica de Sacramentis recognoscitur* ad Episcopos, per eorundem Conferentias, Romanae Curiae Dicasteria et Universitates Studiorum ecclesiasticorum pro consultatione missum fuerat, animadversiones et vota ab his organis nostrae Commissioni pervenerunt.

Ad illorum perpendendas animadversiones et suggestiones, quae novos canones de sacramentis — matrimonio excepto — respiciunt, specialis aliquis coetus constitutus est in quo partem habuerunt, praeterquam Commissionis Secretarius et Secretarius Adiunctus, nonnulli Consultores sive ex parte nostrae Commissionis, sive ex parte SS. Congregationum pro Doctrina Fidei et pro Sacramentis et Cultu Divino. Sessio habita est diebus 18-22 aprilis 1977.

Antequam considerationem uniuscuiusque canonis ingrediatur, opportunum visum est aliquod conspectum generale habere de votis nostrae Commissioni ab organis consultationis transmissis quoad totum schema de Sacramentis. Quapropter synthesis ab aliquo Consultore, post modorum expensionem, redacta est.

Vota ad Commissionem missa sic secundum eorum originem distribuuntur:

- Ex Dicasteriis Romanae Curiae (D): 6;
- Ex Conferentiis nationalibus Episcoporum (CN): 21;
- Ex Conferentiis internationalibus Episcoporum (CI): 4;
- Ex Conferentiis regionalibus Episcoporum (CR): 2;
- Ex Episcopis singulis (E): 25;
- Ex Universitatibus vel Facultatibus ecclesiasticis (U): 16;
- Ex Unione Superiorum Generalium (S): 1;
- Ex Patriarchatu cum S. Synodo (P): 1.

Sunt ergo 76 vota quae animadversiones generales proponunt, praeter illa quae singulos canones respiciunt.

Si conamen fit sensum generalem horum votorum deprehendendi, is hoc fere modo exprimi potest:

— Dicunt *Placet*, vel frequentius *Placet in genere*: D 2; CN 5; CR 1; E 8; U 3; S 1; P 1.

— Schema *placet iuxta modum*: CN 3; CI 1; U 2.

— Responsum est *ambiguum*, tamen expressum: CN 2.

— Schema simpliciter *non placet*: CN 5; E 5; U 7.

Magna tamen exsurgit quaestio: quid cogitandum de Conferentiis, Dicasteriis, Episcopis, Universitatibus et Patriarchatibus quorum vota non prostant? Quaestio pondere non caret, nam numerus votorum receptorum iudicari debet exiguus per respectum ad personas físicas vel morales quorum votum demandatum fuit. Estne silentium pro approbatione reputandum?

I

RATIONES CUR SCHEMA APPROBETUR VEL PLACEAT

Praecipua approbationis capita sequentia esse videntur:

— Validum fundamentum doctrinale, et in specie harmonia cum doctrina Concilii Vaticani II;

— Mens aperta et hodiernis conditionibus accommodata;

— Sensus pastoralis, simplicitas et perspicuitas, bonus ordo materiae, prudentia in normis statuendis, agnitio iurium fidelium, claritas in assignandis competentis, absentia normarum quae obsoletae habentur, aptitudo ad ingravescentem anarchiam vitandam, et tutela legitimae auctoritatis pastoralis.

Quibus rationibus generalibus accedunt quandoque aliae quae magis canones singulos respiciunt.

Haec capita approbationis rarius proveniunt ex U; praecipue vero indicantur ab E quin tamen desint in votis aliquarum CN.

II

RATIONES CUR SCHEMA POTIUS NEGATIVE IUDICETUR

1) *Quaedam capita magis generalia:*

- Schema est nimis iuridicum et parum pastorale;
- Schema respondet situationi sic dictae « christianitatis » (gallice: de chrétienté) quae non amplius existit, et non videtur aptum novae conditioni missionariae fere ubicumque in dies communior;
- Schema nimis pressius Codicem anni 1917 sequitur, quin profundam evolutionem doctrinalem et pastorem satis assimilaverit.

2) *Capita criseos ex doctrina plerumque desumpta:*a) *Capita magis generalia:*

Utile videtur prius considerare capita quaedam generaliora quae aliquam orientationem ostendunt, quorum pondus non caret momento:

— Insufficiens theologia de sacramentis, sine assimilatione doctrinae Concilii Vaticani II. Sunt vota quae postulant « introductiones » doctrinales et biblicas, quod ab aliis firmiter recusatur. Praecipua querimonia circa hanc insufficientiam respiciunt orientationem Schematis quae iudicatur nimis individualistica, parum ecclesialis, sacramenta exhibens tamquam « res » (germanice: dinglich; gallice: chosifiés), quin dicatur ea esse actiones Christi et Ecclesiae, sacramenta definiens unice tamquam media gratiae, nimis indulgens erga hylemorphismum sacramentale, carens anthropologia signi, audens dirimere quaestiones disputatas, definitiones proponens nimis staticas et non univocas. Numerus votorum quae exhibent has animadversiones est sat magnus, et frequentissime, uti patet, apud ea quae Schema reiiciunt.

— Caput animadversionum sat momentosum procedit ex insufficienti consideratione in Schemate relationis inter fidem et sacramenta, ex quo capite profluit desiderium ut magis insistatur in evangelizatione et fide ut praerequisita ad celebrationem sacramentorum.

— Aliud caput criseon provenit ex desiderio ut legislatio de sacramentis assumat perspectivam in qua adspectus cultualis et sanctificationis arctius connectantur.

b) *Capita magis specifica:*

— Desideratur ut explicite aliquid dicatur de Episcopo in celebratione sacramentorum, et etiam de eiusdem auctoritate in hac materia.

— Circa competentiam Conferentiarum Episcoporum non est una sententia, nam aliqui putant Schema iisdem sufficientem competentiam dedisse dum alii, numerosiores certe, aestimant campum Conferentiarum in hac materia latius patere debere. Nonnulli vero iudicant ambitum competentiae Conferentiarum omnino caute assignandum esse et forsitan strictiori modo quam Schema fecit.

— Dispertita sunt vota circa terminologiam Schematis quoad actionem sacramentalem. Plures vellent ut crebrius uteretur verbum « celebratio », quod sane congruit naturae « actionis »; alii vero, quin hanc terminologiam reiiciant, putant insistendum esse in « administratione », quod magis congruit adspectui doni, qui non est obliviscendus.

— Sat multi movent difficultates contra cathedrias « ministri » et « subiecti », quas putant vel obsoletas vel archaicas.

— Est votum quid postulat insertionem alicuius normae admittentis recursum ad Ordinarium ex parte fidelis cui sacramenta denegantur.

3) *Capita criseos ex rationibus praesertim technicis:*

— Proponitur alius titulus, scilicet « Disciplina canonica de S. Liturgia » (CN 1; U 2); aliud votum rogat ut praebeatur Schema totale de re liturgica (U 2).

— Proponitur alia distributio materiae pro canonibus qui respiciunt unumquodque sacramentum (CN 1; CI 1; U 2).

— Postulatur ut fontes adhibeantur, et non tantum Concilii Vaticani II, sed etiam Florentini et Tridentini, immo et Lateranensis IV (E 5; U 3).

— Sunt qui iudicent abbreviationem materiae adhuc insufficientem (CN 3; E 1; U 2) e. gr. ad stipem pro Missae celebratione vel ad indulgentias quod attinet.

— Deest consideratio initiationis christianae complexive tractata (CN 2; CR 1), nec invenitur materia de catechumenatu (U 1).

— Schema debet omittere simplices commendationes, et pariter locutio « si possibile sit » (CN 3; E 6).

— Enixe rogatur ut terminologia adhibita sit constans et cohaerens cum reliquis partibus futuri Codicis, e. gr.: *clerus* « *diocesanus* » aut « *saecularis* »; *Episcopus*, *Episcopus dioecesanus*, *Ordinarius*, *Ordinarius loci*; *Conferentia Episcoporum*; *libri*, *regesta*; *Romanus Pontifex*, *Summus Pontifex*, *Papa*; *religiosi*, *sodales Instituti vitae consecratae*; *ecclesiasticus*, *ecclesialis*; *sacerdos*, *Episcopus*; *sacerdos*, *presbyter*; *initium officii*, *captio officii possessionis*; *usus homogeneous litteris capitalibus vel minusculis*: *Sacramenta*, *sacramenta* (CN 1; D 2; E 2).

— Plurima vota conqueruntur de facto quod Schema non sufficienter attendit ad praescripta quae in novis « *Ordinibus* » inveniuntur (CN 8; CI 1; E 3; CR 1; U 8). Attamen sunt etiam vota, quamvis pauciora, quae non putant Ordines ita stricte ut fontes iuris considerandos esse (E 3; U 2).

— Ad promulgationem quod attinet, sunt qui postulant illam procrastinandam esse donec prius Lex Fundamental^{is} promulgetur (CN 2; E 1); alii pauci postulant ut res fiat materia disceptationis alicuius Synodi specialis (CN 1; E 1); et sunt etiam Episcopi qui proponunt promulgationem ad experimentum tantum.

* * *

De iis, quae in synthesi superius indicata notata fuerunt, haec praecipue sublineata sunt, ita ut prae oculis habeantur in examine quod de singulis canonibus faciendum est:

1) maior cura adhibeatur ad terminologiam magis constantem in schemate assequendam, quae insuper discrepare non debet ab illa adhibita in « *Ordinibus* », quibus liturgia noviter ordinatur;

2) insistendum est in adpectu ecclesiali celebrationis seu actionis sacramentorum, quod nempe sacramenta actiones Christi et Ecclesiae sunt; conexio igitur, quae intercedit cultum inter et sanctificationem, sublineanda est, necnon consideratio evangelizationis et fidei in sacramentis celebrandis;

3) magis explicitetur principium de christifidelium iure ut sibi sacramenta a pastoribus elargiantur;

4) pressius determinanda est, in materia de qua agitur, competentia sive Episcoporum singulorum sive eorundem Conferentiarum, ne figura et persona Episcoporum dioecesanorum evanescant;

5) sufficienter attendatur ad praescripta contenta in novis « Ordinibus » liturgicis.

Circa singulas quaestiones generales nuper recensitas, convenitur ut prae oculis habeantur cum singuli examinabuntur canones et mutationes proponuntur, si quae proponendae sunt, quibus ratio habeatur de illis quaestionibus et animadversionibus generalibus.

Notatum insuper est illas animadversiones generales praecipue quaestiones respicere indolis theologicae, quarum solutio nostrae Commissioni non spectat.

Unus Consultor aliquod tentamen fecit pro canonum generalium de sacramentis emendatione, cuius textus, decursu sessionis, examini subicietur.

Exsurgit tamen quaestio de titulo, quae etiam libri systematicam respicit. Nimis est sermonem instituere de sacra Liturgia, sed parum tantum dicere de ritibus. Dicendum est de cultu et insimul de sanctificatione.

Alicui Consultori propositio non placet, quia textus canonicus nequit omnes difficultates solvere et totum Ecclesiae Magisterium continere: agitur tantum de practico ordinamento.

Etiam Relator tenet in munere sanctificandi insistendum esse ut divisio systematica totius Codicis recipiatur; quae divisio est illa a Concilio Vaticano II proposita, nempe: de Ecclesiae muneribus docendi, sanctificandi et gubernandi.

Aliquibus Consultoribus placet ut duo sublineantur principia: 1) liturgia ut munus sanctificandi, non tantum ut ritus; 2) sacramenta ut elementa principaliora sanctificationis.

Ad titulum quod attinet, aliqui Consultores praeferunt de cultu divino, loco de munere sanctificandi, ne nimis limitetur sanctificationis significatio.

Unus Consultor tenet titulum « de cultu divino » acceptari posse etsi partialem tantum significationem prae se ferat.

Relator insistit ut « de munere sanctificandi » totius Ecclesiae sermo fiat, cui adiungi potest locutio « in cultu divino », tamquam aliqua eiusdem specificatio.

Alter Consultor animadvertit quod si tripartitio Ecclesiae munerum servanda est, oportet ut etiam verba « munus sanctificandi » quod ad totam pertinet Ecclesiam, servantur; dehortatur tamen ne locutio « cultus divinus » per se ipsa adhibeatur, quia praecise expressio « munus sanctificandi » non exprimit.

Tandem aliquando cum discussio in longum protrahatur, tertius

Consultor animadvertit nostrum non esse systematicam facere et proponit ut ad examen canonum singulorum gressus fiat.

Quartus Consultor animadvertit quod nostrum est tantum de titulo agere.

Iuxta Relatoris sententiam, quaestio est ne aliqui canones de liturgia uti introductio ponantur ad canones de sacramentis.

Aliquis Consultor canonum schema aliquod paravit de sacra Liturgia in genere necnon de Sacramentis in communi, cuius textus est:

1. In sacra Ecclesiae Liturgia habetur Iesu Christi sacerdotalis muneris exercitatio in qua per signa sensibilia significatur et modo singulis proprio efficitur sanctificatio hominis, et a mystico Iesu Christi Corpore, Capite nempe eiusque membris, integer cultus publicus exercetur. Proinde omnis liturgica celebratio, utpote opus Christi sacerdotis eiusque Corporis quod est Ecclesia, est actio sacra praecellenter, cuius efficacitatem eodem titulo eodemque gradu nulla alia actio Ecclesiae adaequat.¹

2. Quamvis S. Liturgia non expleat totam actionem Ecclesiae, ipsa tamen est culmen ad quod Ecclesia tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat. Nam labores apostolici, sicut et ministerium verbi et regimen pastorale ad id ordinantur ut omnes, per fidem et Baptismum filii Dei facti, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent, Sacrificium participent et cenam dominicam manducent sicque plene Corpori Christi inserantur.²

3. Cum vero cultus novi foederis in quo sacerdotium commune fidelium exercetur opus sit quod Deo placere nequit nisi a fide procedat, ministri sacri eandem excitare et illustrare sedulo curabunt, ope praesertim ministerii verbi ex quo fides nascitur et nutritur.³

4. Meminerint omnes christifideles Sacram Liturgiam arctissime connecti cum historia salutis, sine qua signa sacra penitus evacuantur. Attendant igitur ad Sacram Scripturam in qua mirabilia Dei litteris consignata sunt, nec non ad Traditionis doctrinam, quae sub ductu Spiritus Sancti plenior Scripturarum intellectionem gignit.⁴

¹ Cf. Constit. *Sacrosanctum Concilium*, n. 7.

² Cf. *Ibid.*, nn. 9 et 10; cf. etiam Decretum *Presbyterorum Ordinis*, n. 5.

³ Cf. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 4 et Const. dogm. *Lumen Gentium*, n. 11.

⁴ Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 35.

5. Palam sit omnibus membris Populi Dei S. Liturgiam esse rememorativam mirabilium Dei temporum anteactorum, demonstrativam et effectivam consiliorum Eius in praesenti et prognosticam consummationis Regni in futuro saeculo.⁵

6. Actiones liturgicae non sunt actiones privatae, sed celebrationes Ecclesiae, quae est « unitatis sacramentum », scilicet plebs sancta sub Episcopis adunata et ordinata. Quare ad universum Corpus Ecclesiae pertinent illudque manifestant et afficiunt; singula vero membra ipsius diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum et actualis participationem attingunt.⁶

7. Quoties ritus, iuxta propriam cuiusque naturam, secum ferunt celebrationem communem cum frequentia et actuosa participatione fidelium, inculcetur hanc, in quantum fieri potest, esse praefendam celebrationi eorundem singulari et quasi privatae.⁷

8. Cum Sacrae Liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendeat, nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio marte in Liturgia addat, demat aut mutet. In celebrationibus liturgicis ergo quisque sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet.⁸

9. In Liturgia praeter distinctionem ex munere liturgico et ordine sacro promanantem, et praeter honores ad normam legum liturgicarum auctoritatibus civilibus debitos, nulla privatarum personarum aut condicionum, sive in caerimoniis sive in exterioribus pompis, habeatur acceptio.⁹

10. Quia S. Liturgia est signum communionis ecclesialis, illi qui plenam communionem cum Ecclesia catholica non habent, nequeunt plene admitti ad cultum liturgicum. De possibilitate aliqualis communionis in sacris cum christianis ab Ecclesia catholica seiunctis, salvis iis qui postea statuuntur quando de singulis actionibus liturgicis, auctoritas episcopalis localis vel Conferentia Episcoporum, ad normam propriorum statutorum decernet.¹⁰

⁵ Cf. S. THOM. AQ., *Summa Theol.*, III, 60, 3, in c.

⁶ Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 26.

⁷ Cf. *Ibid.*, n. 27.

⁸ Cf. *Ibid.*, nn. 22 et 28.

⁹ Cf. *Ibid.*, n. 32.

¹⁰ Cf. Decretum *Unitatis redintegratio*, n. 8.

11. Districte prohibetur ministris S. Liturgiae aliquid quavis de causa vel occasione, sive directe sive indirecte petere aut exigere pro suo ministerio, nam omni cura cavendum est vel a specie lucri aut negotiationis in sacro ministerio. Quodsi christifideles sua sponte occasione sacri ministerii aliquid offerre velint, id modo secreto fiat.¹¹

12. Ius liturgicum ad generalia tantum quod attinet in hoc Codice continetur; ultiores determinationes relinquuntur vel iuri particulari a Conferentiis Episcoporum condendo, vel Codicibus rubricarum pro unoquoque ritu latino promulgandis.¹²

Unus Consultor proponit ut can. 1 schematis a Consultore parati ponatur tamquam canon primus istius novae ordinationis et canon 1 schematis Commissionis tamquam canon secundus; ipse enim praeferat ne canones de liturgia componantur quia tantum explicativi non vero praeceptivi essent.

Consultor qui schema proposuit mallet ut canones 2, 6 et 8 sui schematis etiam in nova ordinatione insererentur; quod placet etiam alteri Consultori.

Relator, quaestionem de titulo reproponendo, praeferat ut dicatur « de munere sanctificandi in cultu divino ». Unus Consultor adiungere vellet: vel « in liturgia » vel « in sacramentis ».

Post disputationem, Praeses instat ut prius canonum materia fixetur et dein redactio curetur. Ipse etiam tenet quod servandi sunt cann. 1, 3, 7 et 8 schematis a Consultore propositi. Tamen caveatur ne in canonum redactione, quantum fieri potest, introducantur quae explicationem theologicam sapiunt.

Disputatione peracta, omnes conveniunt Consultores ut in schemate canonibus generalibus aliqui praeponantur canones qui saltem aliqua principia de Ecclesiae munere sanctificandi enuntiarent, quorum titulus praecise inscribitur *de Ecclesiae munere sanctificandi*. Ceterum animadvertit Relator, divisio Codicis, a nostra Commissionem proposita, desumpta est a Concilio et confirmata in prima Episcoporum Synodo. Ideoque canones, quorum textus est sequens et ab omnibus probatus, anteponendi sunt ad ipsos canones generales de sacramentis.

¹¹ Sic, modo clariori, proponitur quod nunc invenitur in can. 736. Permultae rationes pastorales sicut et experientia nonnullorum locorum suadent formulam propositam, aliquantulum strictiorem iure vigenti.

¹² Textus sequitur principium quod iam invenitur in can. 2.

CANONES DE ECCLESIAE MUNERE SANCTIFICANDI

Can. 1

Munus sanctificandi Ecclesia praesertim adimplet sacra Liturgia, quae quidem habetur ut Iesu Christi muneris sacerdotalis exercitatio, in qua per signa sensibilia significatur ac modo singulis proprio efficitur hominum sanctificatio atque a mystico Iesu Christi corpore, Capite nempe et membris, integer cultus Dei publicus exercetur.

Can. 2

Cum cultus Novi Testamenti, in quo sacerdotium commune christifidelium exercetur, opus sit quod a fide procedat et eadem innitatur, ministri sacri eandem excitare et illustrare sedulo curent, ministerio praesertim verbi, quo fides nascitur et nutritur.

Can. 3

§ 1. Actiones liturgicae non sunt actiones privatae, sed celebrationes Ecclesiae ipsius, quae est « unitatis sacramentum », scilicet plebs sancta sub Episcopis adunata et ordinata; quare ad universum corpus Ecclesiae pertinent illudque manifestant et affirmant; singula vero membra ipsius diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum et actualis participationis, attingunt.

§ 2. Actiones liturgicae, quatenus attenta earum propria natura celebrationem communem secumferant, ubi id fieri possit, cum frequentia et actuosa participatione christifidelium celebrentur.

Can. 4

Supremae Ecclesiae auctoritatis atque ad normam iuris Episcopi dioecesani et, intra limites iure definitos, Episcoporum Conferentiae solummodo est sacram Liturgiam moderari.

CANONES GENERALES

Ad canones generales schematis quod attinet, unus Consultor petit ut aliqua instituatur colligatio cum canonibus generalibus de sacra Liturgia et sibi quaerit utrum vere iustum sit dicere quod sacramenta

signa et media cultus sunt. Instat alius Consultor ut sermo fiat de signo et de medio, quia sacramentum exprimit et efficit.

Primus Consultor praeferret ut sermo sit de fidei professione per sacramenta, necnon de cultus exercitio deque sanctificationis signo et medio, verbis utendo Constitutionis conciliaris *Sacrosanctum Concilium*, n. 59: « alere ... roborare ... exprimere ». Quod tenet etiam tertius Consultor, cui etiam placeret ut verba ipsius Concilii in textum introducantur.

Post discussionem, Relator textum proponit qui haec continere conatur: cultus celebratio, professio et nutrimentum fidei, sanctificationis (salutis) signum et medium, et locum teneat canonis 1 canonum generalium. Et cuius textus est:

Can. 1: « Sacramenta Novi Testamenti a Christo Domino instituta et Ecclesiae concredita signa exstant atque media sunt quibus fides alitur et roboratur, cultus Deo redditur et hominum sanctificatio efficitur, et ideo ad communionem ecclesiam inducendam, firmandam et manifestandam summopere conferunt, quapropter eorum celebratio debite praeparatur, atque in iis celebrandis summa veneratione uti debent tum sacri ministri tum reliqui fideles ».

Plerique Consultores contrarii sunt ut hic etiam de praeparatione ad sacramenta recipienda sermo instituatur, etsi unus Consultor instat ut de ea mentio in textu fiat.

Proponentibus aliquibus Consultoribus, post ulteriorem textus lectionem, dicatur « exprimitur » loco « alitur », quia verba « alitur et roboratur » eandem significationem habent.

Uno Consultore proponente, loco « quae sunt actiones », dicatur « utpote actiones ». Et denique supprimuntur verba « opportune ritaeque ».

Textus canonum qui sequuntur ab aliquo Consultore, iuxta modorum expansionem ab organis consultationis receptorum, redactus est.

Can. 2: De celebratione

§ 1. Celebratio Sacramentorum iuxta propriam cuiusque naturam, cum frequentia et actuosa participatione fidelium exsequatur, nisi adsit rationabilis causa et salvo praescripto can. 4 § 1.

§ 2. In Sacramentis celebrandis unusquisque secundum propriam conditionem ecclesiam sua munera, sub Episcopi dioecesanii moderatione, expleat.

Disceptatione peracta, canon cadit, quia melius res tractatur ubi de liturgia agatur.

Can. 3: De baptismo « ianua » nec non de initiatione christiana

§ 1. Ut quis possit ad cetera sacramenta valide admitti, necesse est ut sit per Baptismum Ecclesiae incorporatus.

§ 2. Tribus Sacramentis Baptismi scilicet, Confirmationis et Sanctissimae Eucharistiae homo in Ecclesiae communione plene initiatur.

Ad § 1: Unus Consultor praeferret ut verba « Ecclesiae incorporatur » tollantur, ita ut incorporatio non ponatur in prima linea, sed baptismus.

Post aliquam disputationem Relator proponit formulam sequentem: « Ad cetera sacramenta admitti non valet qui non est baptizatus ».

Tamen in ultima lectione textus omnes conveniunt, proponente aliquo Consultore, ut dicatur: « Ad ... baptismum non receperit ».

Ad § 2: Valde disputatur de formula adhibenda qua idea exprimitur initiationem christianam perfici sacramentorum Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae receptione.

Relator censet hanc paragraphum supprimi posse, cum sit tantum affirmatio theologica, quae nihil in canonica disciplina addit. Contradicit tamen unus Consultor, cui videtur paragraphum servandam esse ex eo quod in consultatione peracta multi petierunt ut remaneret.

Re ad suffragium submissa, maior pars Consultorum tenet eam servandam esse.

Unus Consultor proponit ut simpliciter dicatur: « In Ecclesia initiatio christiana tribus perficitur sacramentis ... ». Alter Consultor praeferret ut adhibeatur textus in « Ordo Baptismi parvulorum » exstans, ubi verbum « coalescere » utitur ad sequentiam christianae initiationis indicandam. Tandem aliquando Relator sequentem proponit formulam: « Sacramenta Baptismi, Confirmationis et Ss. Eucharistiae ita inter se coalescunt, ut ad plenam initiationem christianam requirantur ». Placet aliis.

Can. 4: Iura et officia ministrorum et christifidelium

§ 1. Christifideles officium et ius habent Sacramenta ab Ecclesiae ministris petendi et accipiendi, qui ministri vicissim ea denegare nequeunt iis qui illa rite et opportune petunt neque iure prohibeantur.

§ 2. Ministri Sacramentorum ceterique fideles, pro uniuscuiusque ecclesiali munere, officium habent curandi ut qui Sacramenta petunt

debita evangelizatione nec non catechetica institutione ad ea accipienda sese praeparent, secundum normas a competenti auctoritate editas.

Ad § 1: Aliqui Consultores petunt ut verbum « officium » deleatur.

Relator textum proponit uti sequitur: « Christifidelibus ius est sacramenta petendi et recipiendi ab Ecclesiae ministris; ministri vero eadem denegare non possunt iis qui opportune petant, rite sint dispositi nec iure ab iis recipiendis prohibeantur ».

Placet.

Ad § 2: Omnes, disceptatione peracta, conveniunt de formula sequenti: « Animarum pastores ceterique fideles, pro suo quisque ecclesiali munere, officium habent ut qui sacramenta petunt debita evangelizatione necnon catechetica institutione ad eadem recipienda praeparentur, attentis normis a competenti auctoritate editis ».

Can. 5: Principium generale et exceptiones oecumenicis ex causis

§ 1. Sacra catholica liturgia Sacramentorum ex natura sua nonnisi in plena communione cum Ecclesia catholica celebranda est, quare ministri catholici Sacramenta licite solis christifidelibus catholicis administrant, qui pariter eadem a solis ministris catholicis licite recipiunt, salvo praescriptis huius can. §§ 3, 4 et 5, necnon cann. 10 § 2 et 319.

§ 2. Communicatio cum quibusvis christianis non catholicis in celebratione Sacramentorum Baptismi, Confirmationis et Ordinis, districte vetita est, salvo quoad Baptismum praescripto can. 19, § 2.

§ 3. Quoties necessitas id postulet aut vera spiritualis utilitas id suadeat, secundum normas ab Episcoporum Conferentia aut ab Episcopo dioecesano latas, et rationabiliter vitato periculo erroris vel indifferentismi, licet christifidelibus catholicis quibus physice aut moraliter impossibile sit accedere ad ministrum catholicum, sacramenta Paenitentiae, Eucharistiae et Unctionis infirmorum petere et recipere a ministris non catholicis in quorum Ecclesiis valide, de iudicio Sedis Apostolicae, Sacramentum Ordinis servatur.

§ 4. Ministri catholici licite sacramenta Paenitentiae, Eucharistiae et Unctionis infirmorum administrant membris Ecclesiarum orientalium quae plenam communionem cum Ecclesia catholica nondum habent, si sponte id petant et rite sint dispositi; quod praescriptum etiam valet

pro membris aliarum Ecclesiarum iudicio Sedis Apostolicae in pari conditione ac orientales versantium.

§ 5. Si adsit periculum mortis aut alia, de iudicio Episcoporum Conferentiae aut Episcopi dioecesiani, urgeat gravis necessitas, ministri catholici licite eadem Sacramenta administrant ceteris quoque christianis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui a propria communitate spiritualia adiumenta recipere non valent, atque sponte id petant, dummodo quoad eadem Sacramenta fidem catholicam profiteantur et rite sint dispositi.

§ 6. Pro casibus de quibus in §§ 3, 4 et 5 praecedentibus, Episcoporum Conferentia aut Episcopus dioecesanus generales normas non ferat nisi post favorabilem exitum consultationis cum auctoritatibus competentibus saltem localibus Ecclesiarum vel communitatum quibus interest.

Ad § 1: Multum disputatur de hac re. Consultor qui canones redegit explicat quomodo ipse ideam servare voluit sacramentorum celebrationem ex natura sua plenam communionem cum Ecclesia catholica requirere.

Aliquis Consultor dicit quod communio cum Ecclesia speciali modo sacramentorum celebratione se manifestat. Disceptatione sat longa peracta, omnes concordant ut prima pars huius paragraphi supprimatur cum iam aliquod in can. 1 continetur, et textus, qui in fasciculo edito prostat, adhibeatur. Eius initium tamen erit: « Ministri catholici, salvus ... » ex propositione unius Consultoris, et citatio §§ 2-3 can. 319 supprimitur, proponente altero Consultore.

Ad § 2: Consultor qui textum fecit explicat curnam communicatio in sacris cum fratribus seiunctis orientalium ecclesiarum dari non possit pro sacramento Baptismi, Confirmationis et Ordinis, sed tantum pro Paenitentia, Ss. Eucharistia et Unctione infirmorum. Unus Consultor quaerit ut loco « stricte » dicatur « plane »; alter Consultor, cum iam dicta repetantur, proponit ut haec paragraphus supprimatur. Concordat Consultor qui textum redegit. Aliquis Consultor praeferret ut remaneret, prae oculis habito « rilievo sociale » horum trium sacramentorum, sed non insistit. Ceteris quoque placet ut § 2 supprimatur.

Ad § 3 (quae erit 2): Nimis videtur in textu mentionem fieri sive de necessitate Episcoporum Conferentiae interventus sive de Sedis Apostolicae iudicio cum postea pluries eadem repetantur, ideoque, post suffragationem (5 contra 3) textus est: « Quoties necessitas ... suadeat,

et dummodo periculum vitetur erroris vel ... licet ... in quorum Ecclesiis valida existunt sacramenta ». Clausula « attentis normis ... » ad § 6 (quae erit 5) transfertur et verba « de iudicio Sedis Apostolicae » supprimuntur.

Ad § 4 (quae erit 3): Placet cum emendationibus quae sequuntur: « non habent » loco « nondum habent »; verbum « praescriptum » supprimitur; loco « pro membris » dicatur « quoad membra »; post « in pari » textus erit « ad sacramenta quod attinet, conditione ac praedictae Orientales versantium ».

Ad § 5 (quae erit 4): Placet Consultoribus ut paragraphus haec sumatur e textu a Commissione parato, qui est § 4 can. 2 canonum generalium, his tamen cum emendationibus: primo loco ponatur mentio loci Ordinarii et postea eorum Conferentiae; tollatur verbum « eadem » post « licite » ante verbum « sacramenta »; in ultima linea verba « consentaneam fidei Ecclesiae catholicae » supprimantur.

Ad § 6 (quae erit 5): Placet cum aliquibus emendationibus et ita sonat: « Pro casibus de quibus in §§ 2, 3 et 4 Episcopus dioecesanus aut Episcoporum Conferentia generales normas ne ferant nisi post favorem exitum consultationis cum auctoritate competenti saltem localis Ecclesiae vel communis cuius interest ».

Can. 6: Initerabilitas et administratio sub conditione

§ 1. Sacramenta Baptismi, Confirmationis et Ordinis, quae characterem imprimunt, iterari nequeunt.

§ 2. Si, diligenti inquisitione peracta, prudens adhuc dubium existat num Sacramenta de quibus in § 1, revera aut valide collata fuerint, pro hominis salute praesumendum est non fuisse collata, ita ut sub conditione conferri debeant, attentis praescriptis can. 19.

§ 3. Praescriptum § praecedentis, valet quoque, quin tamen eodem gradu minister ad inquisitionem teneatur, de Sacramentis Paenitentiae et Unctionis infirmorum; quoad matrimonium servantur normae cann. 244 et 285, § 2.

Ad § 1: Praeplacet omnibus dictio in schemate Commissionis adhibita can. 3, § 1.

Ad § 2: Placet, tamen demptis verbis: « pro hominis salute ... collata, ita ut ». Quapropter textus sonat: « Si, diligenti ... valide collata fuerint, sub conditione conferantur ».

Ad § 3: Ne textus nimis gravetur, omnes conveniunt ut § haec supprimatur.

Can. 7: Auctoritas in disciplina Sacramentorum nec non pro ipsorum liturgia

§ 1. Supremae Ecclesiae auctoritatis atque ad normam iuris Episcoporum Conferentiarum et Episcopi dioecesani tantummodo cum sit Sacram moderari liturgiam, in sacramentis celebrandis fideliter serventur Ordines prout in liturgicis libris a competenti auctoritate probatis habentur, atque nemo audeat ad preces et signa ibidem praescripta quod attinet quidpiam proprio Marte addere, demere aut mutare, salvo accommodationibus in ipsis Ordinibus ministris vel Conferentiis Episcoporum commissis.

§ 2. Minister sacramenta celebret secundum proprium ritum, salvo praescriptis cann. 87, § 2 et 88, § 2.

Ad § 1: Norma est generalis et pro omnibus valet sacramentis ideoque servatur, et placent, adiunctorum nostri temporis causa, ea quae Consultor, qui textum redegit, adiunxit quod « nemo audeat ... quidpiam proprio Marte addere, demere aut mutare ... ». Aliquis Consultor valde instat ut loco « libri liturgici » adhibeatur terminus « ordo ». Contradicunt alii Consultores. Unus Consultor proponit ut dicatur « ... serventur Ordines liturgici ... salvo accommodationibus in ipsis libris ... ». Omnes conveniunt ut expungatur expressio « ritus et caeremoniae ». Post disceptationem, ut textus magis incisivus evadat, in secunda paragraphi parte, proponente Relatore, dicitur « quapropter nemo in iisdem quidpiam proprio Marte addat, demat aut mutet ».

Ad § 2: Placet. In textu can. 5 schematis Commissionis deleatur mentio can. 43, § 2.

Can. 8: Praescripta de Ss. Oleis

§ 1. In conficiendis Sacramentis in quibus sacra olea adhibenda sunt, minister uti debet oleis ex olivis aut aliis ex plantis ab Episcopo benedictis, salvo praescripto can. 188, eaque adhibeat recenter benedicta, nec veteribus utatur nisi vera adsit necessitas.

§ 2. Parochus olea sacra a proprio Episcopo petat, eaque decenti custodia diligenter asservet.

Ad § 1: Placet, tamen ut etiam in nostro textu recipiatur dicendi modus in Ordinibus liturgicis adhibitus quoad Ss. olea. Textus sic

sonat: « In ministrandis sacramentis in quibus... ex olivis aut aliis ex plantis expressis... benedictis aut consecratis, salvo praescripto can. 188; eaque... utatur nisi adsit necessitas ».

Ad § 2: Placet, sed loco « petat » dicatur « impetret ».

Notandum est quod textus § 2 can. 7 schematis Commissionis ad canones infirmorum Unctionis remittitur.

Can. 9: Aliae conditiones externae

§ 1. In sacramentorum celebratione nulla privatarum personarum habeatur acceptio.

§ 2. Minister Sacramentorum pro eorum administratione nihil quavis ex causa vel occasione, sive directe sive indirecte petat praeter normas de hac re ab Episcoporum Conferentia latas et salvis praescriptis cann. 109 et seq., vitato insuper periculo etiam speciei mercaturae, aut simoniae, aut denegationis ratione paupertatis.

Ad § 1: Cum principii affirmatio, quae in textu continetur, vera quidem sit sed non necessaria, omnibus placet ut haec § supprimatur.

Ad § 2: Unus Consultor proponit ut ea quae hic dicuntur ad canones de bonis Ecclesiae temporalibus transferantur et iuxta eiusdem Patris sententiam sufficeret quod dicatur « praeter a competenti auctoritate... ». Res tamen aliis non placet.

Relator sequentem proponit textum: « Minister, praeter oblationes a competenti auctoritate definitas, pro sacramentorum administratione nihil petat ». Disputatur de hac formula et quibusdam Consultoribus non satis videntur dicta. Quapropter idem Relator textum conatus est ita complere: « Minister... nihil petat, cauto semper quod egentes non priventur auxilio sacramentorum ratione paupertatis ». Placet textus, sed res non videtur omnimode definitiva cum etiam de sacramentalibus aliquid forsitan oporteat dicere.

* * *

Cum non multum tempus suppetat, Praeses proponit ut transitus fiat ad considerandos canones de infirmorum Unctione pro quibus aliquis Consultor tentamen aliquod fecit schema emendandi postquam studio observationum organorum consultatorum incubuerat.

Quapropter disceptatio erit insimul de duobus textibus, nempe de illo a Consultore redacto et de altero in schemate a Commissione confecto.

TITULUS V
DE SACRAMENTO UNCTIONIS INFIRMORUM

CAPUT I

Caput I schematis a Consultore parati inscribitur: « De Sacramenti Unctionis infirmorum natura et celebratione », tamen, disceptatione peracta, convenitur ut inscribatur tantum « De Sacramenti celebratione », sine verbo « natura » et sine nomine ipsius sacramenti quod iam apparet sub titulo.

Can. 181 (in schemate 181)

Unctionis infirmorum sacramentum, quo fideles periculose aegrotantes Domino patienti et glorificato, ut eos allevet et salvet a tota Ecclesia (vel: ab Ecclesia) commendantur, confertur eos liniendo oleo atque verba proferendo in probatis liturgicis libris praescripta.

Quaestio agitur num non expediat ut in textu mentio adiungatur etiam sensum, praeter eo qui periculose aegrotant, sed quaestio cadit ex observatione alicuius Consultoris quod res iam continetur in can. 188 § 1 schematis, nunc considerati.

Consultor qui textum redegit notat plures e consultatis requirere Ecclesiae mentionem et sublineare evolutionem a forma deprecativa ad formam indicativam in hoc sacramento. Alius Consultor petit ut dicatur « Unctio infirmorum qua Ecclesia ... ». Disceptatione peracta, en textus probatus: « Unctio infirmorum qua Ecclesia fideles periculose aegrotantes ... et salvet commendat, confertur ... ».

Can. 182 (in schemate 188)

Praeter Episcopum, ipso iure oleum in unctione infirmorum adhibendum benedicere possunt:

- 1° (Presbyteri) qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur; et,
- 2° in casu (verae) necessitatis, quilibet presbyter (in ipsa tamen celebratione sacramenti).

Proponente uno Consultore, tolluntur verba « ipso iure » uti super-

flua. Tolluntur etiam verba intra uncus « Presbyteri » et « verae », dum, e contra, remanent et quidem sine uncis illa « in ipsa tamen celebratione sacramenti ». Cetera placent.

Can. 183 (in schemate 189)

Unctiones fieri debent (propria ministri manu) in fronte et in manibus suscipientis, firmo iure Conferentiarum Episcoporum alias (quoque) attentis populorum moribus, permittendi aut praescribendi; in casu vero necessitatis (fieri possunt adhibito instrumento et) sufficit etiam unica unctio in fronte vel in alia corporis parte.

Nimiae videntur in hoc textu determinationes, quae de cetero in libris liturgicis continentur, quapropter textus can. 189, §§ 1-2 schematis Commissionis praeplacet et denuo probatur.

Can. 184 (novus)

Si circumstantiae id permittant, et praecipue si infirmus S. Communionem recepturus est, expedit ut Unctio infirmorum conferatur intra Missam quae, de Ordinarii licentia (saltem rationabiliter praesumpta) etiam in aegrotantis domo celebrari potest.

Plerique Consultores tenent agi potius de liturgicis praescriptionibus vel indicationibus et placet ut omittatur.

Can. 185 (novus)

Ad loci Ordinarium pertinet particulares normas edere in celebratione Sacramenti Unctionis infirmorum servandas quando plures infirmi ad hoc congregantur.

Omnibus placet ut deleatur.

Hic, ex propositione alicuius Consultoris, inseritur can. 187 (in schemate Commissionis 187).

Proponitur textus: « Christifideles infirmi tempore opportuno hoc sacramentum fructuose recipere valeant: animarum pastores et infirmorum propinqui omni studio curent ut eidem dum sui pleni conscii sint sacramento subleventur ».

Tamen formula, multis ex rationibus, non placet et sequens magis concisa probatur: « Curent animarum pastores et infirmorum propinqui ut tempore opportuno infirmi hoc sacramento subleventur ».

CAPUT II

Consultor qui textum redegit, hoc caput inscribit: « de officiis et ministeriis in celebratione unctionis infirmorum » lineam sequendo earum quae in ordinibus liturgicis habentur et ad relationem cum communitate christiana indicandam. Valde de hac mutatione disputatur; in fine tamen inscriptio erit tantum « de ministro unctionis infirmorum », cum de se terminus « minister » iam relationem dicat ad communitatem.

Can. 186 (in schemate 182)

§ 1. Uctionis infirmorum (sacramenti) minister proprius est solus sacerdos.

§ 2. Officium (et ius) Uctionis infirmorum ministrandi habent omnes sacerdotes erga fideles suo pastoralis officio (muneri) commissos; in casu vero necessitatis quilibet alius sacerdos hoc sacramentum ministrare debet (monito postea sacerdote de quo supra).

§ 3 (in schemate can. 7, § 2 canonum generalium). Cuilibet sacerdoti licet oleum benedictum secumferre ut, in casu necessitatis, sacramentum Uctionis infirmorum ministrare valeat.

Ad § 1: Unus Consultor praeferret modum dicendi qui in schemate adhibetur, repetens ad verbum Codicem. Multum enim argueretur ex suppressione adverbii « valide ». Ceterum Codex I. C. fons est etiam pro theologia. Etiam Relator tenet necessarium esse quod clare constet in Codice de validitate et de subiecto sacramenti, secus non amplius haberemus doctrinam certam. Alius Consultor animadvertit Conferentiam Episcoporum Germaniae a Sede Apostolica petiisse ut infirmorum unctio etiam a diacono administrari possit. Tertius Consultor animadvertit textum iam contineri in Concilio Tridentino et in novo Ordine liturgico. Card. Praeses animadvertit Codicem Concilio Tridentino derogare nequivisse, sed considerato quod ex praetermissione doctrina diversimode orientari posset, ne in oblivione cadat, adverbium « valide » intra uncus ponatur. Imo melius est ut in redactione ponatur potius textus schematis typis editi et intra uncus textus a Consultore confectus et res Summo Pontifici deferatur, id est si opportunum sit « valide » servare, quod non erat in Concilio Tridentino, sed in Codice.

Ad § 2: Aliqui Consultores tenent impossibile esse textum schematis servare, quia nimia complexitate laborat.

Disceptatione peracta, sequens textus probatur: « Officium et ius unctionis infirmorum ministrandae habent omnes sacerdotes quibus commissa est cura animarum erga fideles suo pastoralis officio commissos; ex rationabili causa quilibet alius sacerdos hoc sacramentum ministrare potest de consensu saltem praesumpto sacerdotis de quo supra ».

Ad § 3: Placet.

CAPUT III

Hoc caput inscribitur « De iis quibus unctio infirmorum conferenda sit ». Non placent alii tituli propositi: « De ritibus et caeremoniis unctionis infirmorum »; « De iis qui hoc sacramento sublevandi sunt ».

Can. 188 (in schemate 183)

§ 1. Unctio infirmorum ministrari potest fideli qui, adepto rationis usu, propter infirmitatem (aegritudinem) vel senium (prudenti iudicio) in periculo incipit versari; (debet vero ministrari quando discrimen iam imminet).

§ 2 (nova). Pueris sacra unctio eo iam tempore ministrari potest cum talem habent rationis usum ut hoc sacramento confortari valeant.

§ 3 (nova). Ante chirurgicum interventum hoc sacramentum (quoque) suscipi potest si illius interventus causa periculosa infirmitas sit.

§ 4 (nova). Senibus, propter eorum (quoque) debilitatem hoc sacramentum administrari (conferri) potest, etiamsi periculose non infirmantur.

Placet § 1, demptis verbis intra uncas. §§ 2-3-4 non placent, quia res iam in libris liturgicis regulatur, ideoque deleantur.

Can. 189 (in schemate 183 § 2)

Unctio infirmorum iterari potest si infirmus, postquam convaluerit, denuo in gravem incidet infirmitatem, aut si, eadem infirmitate perdurante, morbus vel debilitas gravior (graviores?) fiat (fiant).

Non placet textus prout sonat et Consultores praeferunt textum schematis Commissionis, qui tamen uti § 2 can. 188 ponitur.

Can. 190 (in schemate 184)

In dubio utrum (an) infirmus rationis usum attigerit, aut (an) periculosa sit qua afficitur infirmitas, aut (an) adhuc vivus sit, unctio infirmorum (sub conditione) ministretur (; si vero certo iam mortuus sit — expiraverit —, Deum pro eo sacerdos deprecetur, sacramentum ne ministret).

Post disceptationem convenitur ut textus can. 184 schematis Commissionis servetur, tamen hoc modo modificato: « In dubio an infirmus rationis usum attigerit, an periculose aegrotet aut an mortuus sit, hoc sacramentum ministretur ».

Can. 191 (in schemate 186)

Infirmis qui, licet sensum vel usum rationis amiserint, sacram unctionem, dum suae mentis compotes essent, verisimiliter ut credentes petiissent, sacramentum praebeatur.

Placet, sed post « compotes essent » adiungatur « saltem implicite petierunt aut verisimiliter petiissent » (sacramentum praebeatur), sed in fine disceptationis praevaluit opinio quod textus can. 185 schematis Commissionis magis incisivus sit: ideoque definitive probatur.

Can. 192 (in schemate 185)

Unctio infirmorum ne conferatur illis qui in gravi peccato manifesto (manifeste?) obstinate (manifeste?) perseverant.

Placet, demptis verbis intra uncus. (M. DE NICOLÒ, *Actuarius*)